

## Caput primum.

De universa Graecorum studiorum per medium aetatem conditione agitur.

Inter antiquos interque recentioris memoriae populos id maxime interest, quod illi praeter Romanos aliorum populorum linguis nullam fere dicabant operam, quem inde a medio aevo christiani potissimum populi haecce studia, quibus aliarum gentium linguas iisque historias, literas, mores bene cognoscerent, haberent dignissimas, in quibus versarentur<sup>1)</sup>. Et quidem unam potissimum didicerunt linguam praeter vernaculam omnes fere, qui per occidentalem Europam habitabant populi, quique christiana fidei erant addicti, Romanam sive Latinam.

Romani enim prisca aetate terrarum imperitaverant orbi, medio autem aevo summi christianorum pontifices, papae, qui Romae sedem suam habebant, novi ac religiosi quasi imperii, quod tunc oriebatur quodque nullis finibus erat circumscriptum, facti sunt imperatores. Itaque Romana lingua ex nova novi regni sede summum exercuit imperium, qua coelestia ac divina mysteria cum hominibus communicarentur. Huc accessit, ut veteres Romani, quum essent juris peritissimi legibusque optimis piae caeteris eminerent populis, in jurisprudentia rebusque civilibus suae linguae per medium aetatem summam haberent auctoritatem. Quae quum ita essent, non est quod miremur, quod quum eorum populorum linguae, qui christianam acceperant fidem, sunt rejectae, tum eorum, qui prisca aetate floruerant, ut Graeci atque Hebrei, sunt neglectae, quo major enim erat papalis potentia, eo magis una latina regnabat lingua, eoque magis caeterae quaeque et recentiorum et priscorum hominum opprimebantur linguae, usque ad saeculum decimum tertium, quo populares sermones ad tantam perverterunt dignitatem, ut ipsis non solum humanas leges<sup>2)</sup>, verum etiam divina

<sup>1)</sup> Accuratus hac de re egimus in dissertatione de studiis, quae veteres ad aliarum gentium contulerint linguas, scripta. Sundiae, 1844.

<sup>2)</sup> Satis est memorasse Hispanorum, quorum rex Alfonsus decimus hac in re longe maximi est momenti, las siete partidas, fueros etc. cf. Schaeferi hist. Hisp. II, 418, Francogallorum établissements de St. Louis, Britannorum statutes of Westminster, Germanorum speculum Saxonicum et Alemannicum.

praecepta edicerent <sup>3)</sup>), quoque, quum anno MCCIV quarta illa s. crucis expeditione Constantinopolis ab occidentalibus Christianis expugnaretur et MCCVI Parisiis, qua in urbe medio aevo longe celeberrima erat literarum universitas, collegium Constantinopolitanum seu Graecum conderetur, Graeca potissimum studia et exercebant et augebantur. Antea omnia, quaecunque erant, Latine dijudicabant et edicebantur. Si qui erant, qui inde ab interitu Romani imperii usque ad duodecimum et decimum tertium saeculum Graecis literis ac popularibus sermonibus favebant, non ii, qui tunc fere soli literarum vacabant studiis, non clerici, sed reges sunt nominandi atque imperatores. Etenim papae summique episcopi quum rebus sacris tum Latinae linguae tantum studebant, varii vero variarum terrarum reges, penes quos terrestre quasi ac profanum esset imperium, profanarum quoque literarum praeter sacras prospiciebant studiis, quod Caroli Magni potissimum atque Ottonis primi, Germanorum imperatorum, probabitur exemplis. Praeterea reges orientalis seu Graeci regni, post deperditum occidentale Romanorum imperium, primum, quippe qui essent imperatores, obtinebant locum tantoque plus valebant, quod magnam Africæ et Italiae partem sibi subjecerant, atque cum sui imperii suae linguae seu Graecæ protulerant fines, qua in re Justinianus longe maximi est momenti. Huc accessit, ut legatis ab altera terra in alteram missis <sup>4)</sup> connubiisque, quae aut siebant aut agebantur, Graeci et Latini semper conjugarentur praeter Italiam inferiorem, in qua orientalium et occidentalium hominum etiam per medium aetatem magnum fuit commercium.

### Caput alterum.

De Graeca lingua christianaæ religionis fundamento.

Neque tamen subito cum novo novarum rerum ordine Graecæ tacuerunt musae, sed magis magisque obmutuerunt. Quo enim magis antiqua rerum conditio, quae in Graecis Latinisque nitebatur fundamentis, domi militiaeque mutabatur,

<sup>3)</sup> ut Bertholdus, qui Franciscanorum ordini erat adscriptus, orationibus sacris Germanico sermone habitis.

<sup>4)</sup> Praeter alia de nomine imperatorio, quod sibi tantum vindicare volebant orientales quemque titulum Niephorus, ad quem Luidprandus mittebatur, Ottoni primo concedere noluit. Iam prius misit Ludovicus Amalarium legatum ad Michaelem I imperatorem Constantinopolin, ut pacem cum eo de imperatoris titulo et de finibus imperii componeret. Cf. Labbei biblioth. nova mss. librorum tom. II, p. 158, et Histoire liter. de la France T. IV, 223. Paulus post Carolo calvo a Graeco-imperatore πατροσύνην, non βασιλευς adscriptus est titulus. Jourdain, Geschichte der aristotel. Schriften im Mittelalter, übers. von Stahr, pag. 47.

quoque magis Romani imperii loco novum Germanorum imperium atque christiana ecclesia suos preferebat fines, eo magis Graeca negligebatur lingua, quum Romana, quam induerat quasi vestem christiana religio, ab antiqua et vere Latina recederet natura, ac novo quedam perfunderetur ingenio<sup>5</sup>). Multum enim abest ut Graecae linguae studium rejecerit ecclesia christiana statim, ut primis temporibus ex Graecis maxima ceperit incrementa. Namque sacrata erant atque inaugurata quasi Graeca, quibus literis apostoli ad varias variarum terrarum scripserant ecclesias, ut Paulus ad ipsos Romanos, quibus sanctissimi primae ecclesiae sacerdotes usi erant, ut Clemens Romanus primo<sup>6</sup>), Justinus Martyr altero, Irenaeus Lugdunensis altero et tertio saeculo, Hippolytus, qui non procul a Roma fuit episcopus quique contra Platonem inventus est maxime saeculo tertio<sup>7</sup>), aequo ac Caus, presbyter Romanus, ut de Dionysio, Alexandrino episcopo Originisque discipulo taceam, qui omnes Graece aut revera scripserunt aut certe feruntur scripsisse, quibus denique novae fidei semina ab iis, qui ipsum Christum et viderant et audiverant, erant dispersa, ut Graeca lingua primum quasi esset Christianae religionis fundamentum. Et quidem summo jure, neque enim tunc ulla lingua ita fuit universa, neque ita per totum terrarum orbem propagata, ut Graeca, quae, ut taceam de coloniis Graecis, per Alexandrum Magnum et per Seleucidas in Asiam<sup>8</sup>), et quidem inde ab Herodis Magni potissimum aetate in Palaestinam<sup>9</sup>), per Ptolemaeos in Aegyptum atque in Africam<sup>10</sup>), per mille obsides Achaeos in Italiam est translata<sup>11</sup>), quaeque in oriente cum Hebraica, in occidente cum Latina lingua maxime fuit conjuncta.<sup>12</sup>)

Praeterea Graece scribebant Graecisque operam dabant literis patres ecclesiastici, in quibus praeter Clemens Alexandrinus est nominandus, qui non solum Socratis, Platonis, Xenophontis philosophia, verum etiam Arati, Hesiodi,

<sup>5</sup>) Cf. de latina dictione per christianam religionem mutata ea, quae infra de Gregorio Magno afferemus.

<sup>6</sup>) Qui Graecarum homiliarum auctor fuisse dicitur.

<sup>7</sup>) Cyclum paschalem sedecim annorum, ἵκκαιδεκατηρός, proposuit.

<sup>8</sup>) Cramer de studiis, p. 14.

<sup>9</sup>) Cf. Josephi antiquit. Judaie. 14, 4, 4, 14, 10, 2, 14, 12, 5. Graece Judaei aequo scivisse videntur atque Hebraice, cf. Act. apostol. 21, 40 et 22, 2. Permulti Graeci vixerunt inter Hebreos, cf. Acta Apostol. 6, 1 et 9.

<sup>10</sup>) Cramer p. 16.

<sup>11</sup>) Idem p. 28.

<sup>12</sup>) Imo Graece vulgo loquebantur, quare, si quid Hebraice edicebatur, diserte id exprimunt, ut Act. apostol. 26, 14. Christi aetate apud Judaeos in tabulis publicis Hebraica, Graeca, Latina coniungebantur linguae. Evangel. Lucae 23, 38; Johannis 19, 20.

Euripidis, Orphei carminibus gentiles ad verum perducere vult deum<sup>13)</sup>) quod Graeci potissimum sophistae contra christianam fidem prodibant publice, quibus Celsus quidam medio fere altero saeculo signa fertur praetulisse libro, qui λόγος ἀληθής erat inscriptus, quodque prae caeteris Graecos scriptis suis ad meliorem frugem revocare studebant. Sic Justini Martyris<sup>14)</sup>, in cuius libello de monarchia scripto<sup>15)</sup> multos Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, Orphei, Pythagorae, Philemonis, Menandri et genuinos et subditos legimus versus commixtos, duas orationes ad Graecos scriptas habemus, quarum alteram vere Justineam, alteram Justino esse falso adscriptam suspicantur viri docti<sup>16)</sup>). Neque minus Tatianus, qui eodem altero vixit saeculo atque etiam contra Graecos scripsit, aequo veri studio commotus multas peragrasse terras totamque Graecorum sapientiam sibi parasse est confessus.

Longe vero maximi momenti est nobis Tertullianus, Carthaginiensis, quem apologeticum adversus gentes scripsisse inter omnes constat, (inde ab anno CLX usque ad CCXL), qui que nonnulla non solum Latine verum etiam Graece scripsit, ut de spectaculis, quo de libro de Cor. Mil. c. s. haecce: „propter suaviludos nostros Graeco quoque stilo satisfecimus,“ sine dubio, quod multi et quidem elegantiores homines Graecarum literarum peritiores erant quam Latinarum. Neque minus libellum suum „de virginibus velandis“ Graece scripsit, ut ex hujus libri videmus initio. Imo ipsa Tertulliana Latinitas fere Graeca est Graecarumque plena formarum et structurarum, ut scandalizandi et prophetandi, ne de inusitatis ac prorsus novis loquar adjectivis et substantivis mere Graecis ac christianis. Quare Tertullianum medium tenere locum inter Graecam et Latinam sacrarum rerum linguam alteramque ad alteram deduxisse fere judicaverim, tunc enim „quorundam de Graeco interpretatio non ad expeditam proinde nominis formam, quorundam nec de sexu genera convenient, quorundam usitator in Graeco notitia est.“<sup>17)</sup> Qualis per Tertullianum in sacris literis facta est lingua Latina, talis

<sup>13)</sup> Cf. λόγος προφετικὸν πρὸς Ἑλλήνας, maxime cap. 5 et 7.

<sup>14)</sup> Justinus Martyr, eius urbs natalis Flavia Neapolis in Palaestina erat (prisca urbs Sichem), priusquam christianam accepit fidem, summo veri studio ductus Stoicorum, Peripateticorum, Pythagoreorum, Platonicorum frequentaverat scholas. Cf. Justin der Märtyrer von Semisch, I, 5—21.

<sup>15)</sup> Quem Justini esse librum negavit Semisch I, 167—172.

<sup>16)</sup> Conferas omnino de hac re Semisch I, 57, 107, 126, 163—168. In cohortatione ad Graecos Homeri potissimum laudat carmina. De multis Graecorum historicorum locis, quos attulit Justinus vide Semisch I, 211.

<sup>17)</sup> Adversus Valentinianos cap. 3.

paulo post per Constantiū Magnum, qui ei magnopere favebat, in sacro usu  
videtur esse redditus<sup>18)</sup>.

S. Hieronymus exeunte saeculo quarto, quum Constantinopoli viveret et  
Gregorium Nazianzenum audiret, nonnulla Graece scripta reddidit Latina, ut Eu-  
sebii chronicon, virosque doctos jam antiquis temporibus hisce versionibus ex Graeca  
in Latinam linguam factis sese exercuisse exponit<sup>19)</sup>. Augustinus quidem  
(qui anno CCCCXXX est mortuus) Graecarum literarum haud ita erat peritus, propter  
nimiam praceptoris severitatem, qua hanc docebatur linguam, quaque ita a Graecis  
abhorruit, ut aequa ac caeteri Africani Graecorum patrum libros de trinitate  
scriptos vix intelligeret<sup>20)</sup>. Neque tamen Graecam rejicit philosophiam, qua  
christianam cognitionem multum censuit adjuvari. Quae vero Augustini erat sen-  
tentia de studiis Graecorum scriptorum, ea erat multorum patrum ecclesiae, etsi  
non tantum, quantum Augustinus, per totam christianam valebant ecclesiam. Augu-  
stinus enim, quae verba oraculorum instar sunt excepta<sup>21)</sup>, docet: recte a philo-  
sophis gentilibus maxime Platonicis tradita in usum christianum converti opor-  
tere<sup>22)</sup>. Universam Platonis philosophiam multa cum christiana religione  
habere communia censebant theologi, neque injuria, quum Platonici philosophi pae-  
caeteris christianam reciperent fidem<sup>23)</sup>. Hodie quoque theologi, si qui veterum  
scriptorum operam navaverunt, in Platonis versantur scriptis ejusque veram rem-  
publicam cum christiana de regno divino doctrina comparant maxime.

Ii potissimum clerici, qui christianam doctrinam penitus volebant cognoscere,  
quique minus ecclesiae externae ac vitae vacabant, sed in intima quasi mysteria  
descendebant, non potuerunt quin Graecis certe patribus studerent, ne dicam de  
profanis auctoribus, itaque Graecae linguae servarent cognitionem, nisi forte radi-  
ces, quibus christiana ecclesia erat nata, volebant eruere. Ipsa sacra Latinitas,  
quae resonabat Graecis verbis evangelii, cateschesis, baptismatis, eucharistiae,  
paracleti, angeli, pentecostes, cleri, episcopi, bibliorum etc. ad Graecos deducere  
debebat fontes. Praeterea Graecorum scripta legenda erant clericis occidentalibus,

<sup>18)</sup> Cramer de stud. p. 34.

<sup>19)</sup> Epistol. 104. Schröckh's Kirchengesch. XI, 40 u. 60.

<sup>20)</sup> Confess. I, 13 et 14. II, 3. de trinitate III, 1.

<sup>21)</sup> De doctrina christiana II, 40.

<sup>22)</sup> Ibidem IV, 16 de studio et industria a rerum sacrarum doctore adhibenda. De Platonicis Augu-  
stini studiis cf. Ritter, Geschichte der Philosophie VI, 159.

<sup>23)</sup> Joh. Skot. Erigena von Staudenmaier S. 293.

quod Graeca abhorruit ecclesia in nonnullis dogmatis ab Latina. Ita rixis de imaginum veneratione atque de sancto spiritu, utrum ab uno deo, an una a filio exierit, exortis facile in singulis rerum sacrarum studiosis Graeca commoveri potuerunt studia.

Ne multa, ut media ac nova aetate linguis vernaculis multa Latina immiscabantur, donec suam ipsa quaeque lingua sequebatur naturam, Latinis verbis ac formis quasi eliminatis, sic primis christianaee religionis saeculis Graeca ac Latina in sacris potissimum rebus erant conjuncta, hominesque Latinam linguam, qua in vita communi loquebantur, tempore procedente magis magisque adaptaverunt religioni, quo facto Graeca, usque eo quasi sacra, coepit est et negligi et opprimi. Optimus hujus rei testis est Augustinus, qui aegre tulit infinitam Latinorum interpretum varietatem. „Qui scripturas, inquit, ex Hebraea lingua in Graecam verterunt numerari possunt<sup>24)</sup>, Latini autem interpres nullo modo. Ut enim cuivis primis fidei temporibus in manus venit codex Graecus et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari<sup>25)</sup>.“

Neque solum in soluta oratione Graecis utebantur verbis christiani occidentales, sed multo magis in vineta atque in canticis ecclesiasticis, in quibus vel nunc resonant Graeca illa κύριε Ἐλέησον, χριστὲ Ἐλέησον. Die memoriae mortis Jesu sacro per longum temporis spatium apud occidentales haecce canebantur:

Praeterea festissimis olim diebus Gloria in excelsis deo (δόξα ἐν ὑπίστοις θεῷ), Tractus, Credo, Sanctus, Pater noster, quae dicuntur, et Latine et Graece feruntur esse decantata<sup>26)</sup>. In celeberrimo monasterio Sangallensi rerum divinarum partem Graeca obierunt lingua<sup>27)</sup>.

<sup>24)</sup> Ne Justinus quidem Martyr, quamquam in Palaestina erat natus, Hebraice guarus erat linguae Semisch 1, 213—224.

<sup>25)</sup> De doctrina christ. II, 16, quibus verbis Augustinus multos saepeque ineptos interpres seu translatores (ἐργονευτάς) videtur tangere, quibus in antiqua ecclesia utebantur, ut ex Graeco in Latinum seu vernaculum verterent sermonem, quo munere letores seu diaconi plerumque fungebantur.

<sup>26)</sup> Das deutsche Kirchenlied vor der Reformation, von Hölscher, Progr. von Recklinghausen, 1846, S. 6. Binterim, Denkwürdigkeiten der christ-katholischen Kirche, IV, 4, 316, 332, 403.

<sup>27)</sup> Cramer, Gesch. d. Erz. in den Niederlanden, p. 56.

### Caput tertium.

De Graecis humanitatis atque haeresium auctoribus.

Quum omnino cum Graeca lingua cultioris vitae, humanitatis, universae philosophiae notio intime sit conjuncta, qui in rerum atque hominum naturam accuratius inquirebant, non potuerunt quin in Graeciam animis confugarent, quo factum est ut, quidquid philosophiae erat medio aevo, Graecam redoleret indolem. Quae quum ita sint, Graeci praeter aeteris non solum verae fidei propagatores, verum etiam opinionum a vera doctrina alienarum sive haeresium habendi sunt auctores.

Itaque eo tempore, quo catholica ecclesia vere Latina erat facta, ii potissimum, qui non publico in ecclesia fungebantur munere, quique privatam suam retinebant libertatem privatisque docebant scholis, grammatici,<sup>28)</sup> Graecae Linguae sunt et servatores et instauratores, quum ecclesia Romana procedente tempore recederet a genuinis fundamentis in scriptura sacra positis, eaque tantum, quae per occidentem tradita esse ferebantur, sequeretur ita, ut Graeca fere prorsus reiiceret ac Latina tantum coleret.<sup>29)</sup> Etenim Romana ecclesia, pronome suo, non solum in Graecam ecclesiam, verum etiam in Graeca, quaecunque erant, communi flagrabat odio. Quis enim est qui miretur, quod anno MCCCXI in concilio Viennensi, quum per Clementem quintum pontificem maximum Hebraicae, Arabicae, Chaldaicae linguae studium praescriberetur, Graecae prorsus est omissum?  
Verum enim vere hocce lege fuit edictum: Sacro approbante concilio in subscriptarum linguarum generibus, ubicunque Romanam curiam residere contigerit, nec non in Parisiensi, Bononiensi et Salamantino studiis providimus, statuentes, ut in quolibet ipsorum teneantur viri catholici, sufficientem habentes Hebraicae, Arabicae et Chaldaicae linguarum peritiam, duo scilicet uniuscujusque linguae periti, qui scholas regunt inibi et libros de linguis ipsis in Latinam fideliter transferentes, alios linguas ipsas sollicite doceant earumque peritiam studiosa in illos instructione transfundant, ut possint fidem propagare salubriter in ipsos infideles populos.<sup>30)</sup>

<sup>28)</sup> Qualis grammaticae medio aevo fuerit notio et accuratius sequentibus paginis exponetur et fusius exposui in: Gesch. d. Erzieh. u. d. Unterrichts in den Niederlanden, pag. 88. Cf. Giesebricht: De literarum studiis apud Italos primis medii aevi saeculis, p. 5, 8, 13 seq.

<sup>29)</sup> Caeterum Latinam ecclesiam in Graeco niti fundamento hodie quoque confitentur catholici, quorum summo pontifici, si sollemni pompa sacram coenam ad altare primarium administrat, epistolae et evangelium in utraque lingua, et Graeca et Latina, scripta praferuntur.

<sup>30)</sup> Corp. Juris Canon., in Clement. Lib. V, tit. 1, c. 1, ed. Colon. 1661, 4, p. 246. Bulacis histor. universit. Paris. tom. IV, p. 141, 209.

Si verum, quod Gradenigo narrat,<sup>31)</sup> in nonnullis Viennensis concilii codicibus Graecam cum tribus orientalibus linguis fuisse conjunctam atque commendatam, id postero tempore videtur esse additum, nisi forte Gradenigo Viennense cum Basileensi permutavit concilio; Basileae enim vel potius Florentiae, quo anno MCDXXXIX patres non solum ut catholicam ecclesiam reformarent, verum etiam ut Graecam cum Romana conciliarent ac conjungerent ecclesia convenerant, Viennense est repetitum decretum, ac praeter Hebraicam, Arabicam, Chaldaicam linguam ut Graecae studerent publice est edictum.<sup>32)</sup> Jam quum ab illo inde tempore Graecam et Latinam ecclesiam unam reddere studerent ii, penes quos summum rerum sacrarum gubernaculum, factum est ut tunc Graeca studia per Nicolaum quintum, pontificem maximum, omnino tanta cuperent incrementa, quanta universam saeculi decimi quinti adeoque sequentium temporum mutaverunt conditionem.

In Graecis inesse haeretici quiddam inesse non injuria censuisse ecclesiae Romanae patres inde patet, quod post reformatam ecclesiam ii, qui a reformatorum steterunt partibus, ut ipsi clarissimi et Lutheranae et Zwingianaee ecclesiae auctores, quales erant Melanchthon et Zwingli, Graecis studiis erant addicti, quum catholici Latinis continerentur finibus adeoque Hoogstraten, acerrimus catholicorum propugnator, Graecam linguam omnium haeresium nominaret matrem.

Imo clarissimus ille Judaeorum medicus ac philosophus Maimonides, qui Cordovae vixit inde ab anno MCXXXIX usque ad MCCV, quemque sacram scripturam Graecis vendere divinaque bibliorum cum Graeca ac naturali philosophia intimo copulare strepebant vinculo, Aristotelis quidem Platonisque magnopere commendavit opera, neque tamen Graeca lingua esse legenda censuit, neque sine interpretibus, in quibus Averroem primo posuit loco. Contra Pythagoreorum, Hermeticorum, Porphyrii, omnino mysticorum librorum rejicit lectionem.<sup>33)</sup> Jam fieri potuit ut Maimonidis auctoritate commoti Hispani Judaei prae caeteris Graecam tanto amore amplecterentur philosophiam, ut iis a nonnullis sacerdotibus seu rabbiniis saeculo duodecimo Graecis interdiceretur studiis,<sup>34)</sup> ne forte a sua fide in haeretica abducerentur dogmata. Quod quidem

<sup>31)</sup> Della Letteratura Greco-Italiana, p. 116.

<sup>32)</sup> Edicti verba sunt haecce: „omnibus modis servari praecepimus constitutionem editam in concilio Viennensi de duobus docere debentibus in studiis ibidem expressis linguas Hebraicam, Arabicam, Graecam et Chaldaicam etc.“

<sup>33)</sup> Jost, Geschichte der Israeliten, VI, 190—202 et 368.

<sup>34)</sup> Quod jam veteres cavebant Judaei, cf. Cramer, Geschichte der Erzieh. I, 113.

interdictum Salomo rabbi, Barcinone circa annum MCCCCV. docens, arctioribus circumscriptis finibus. Quum enim religiosae Judaeorum pietati Davides rabbi persuasisset juveniles potissimum animos Graecis corrumpi libris, quos propter stili delicias, quibus essent scripti, juventus fere devoraret tantoque absorberet hiatu, ut naturalis Graecae philosophiae infecta veneno huncquam sacrorum scriptorum caperentur miraculis, atque semidoctis maximum ex philosophia imminere periculum, Salomo illos est exsecratus, qui Graecae philosophiae, quacunque esset scripta lingua, aut ipsi studerent, priusquam viginti annos essent nati, aut juniores docerent, exceptis iis juvenibus, qui medicinae<sup>35)</sup> operam darent.<sup>36)</sup> Maximum inde ceperunt incommodum per occidentem Graecae literae; qualem enim in oriente Syri tenebant locum<sup>37)</sup> inter veteres Graecos interque recentes Arabes, quum literas ab altera ad alteram gentem transferrent, tali in Hispania potissimum munere fungebantur Judaei,<sup>38)</sup> quorum opera aequa in commercio atque in literis populi medio aevo arctius conjungebantur.

Quanta ex Graecis in liberiorem animorum conditionem redundaverint, inde quoque potest perspici, quod medio saeculo decimo quinto literis Graecis instauratis omnes omnino literae sunt instauratae.

At neque ea, quae in Judaeis Graecarum literarum offecerint commodis, neque ea, quibus post reformatam ecclesiam Graeca aut augebantur aut negligebantur, neque ea, quae Graecae linguae studia aut per Italiam, instauratis per fugitivos Graecos literis, aut per Germaniam, ubi in universitate Heidelbergensi MCCCCCLXXXVIII. a Philippo electore prima Graecae linguae doctoris est condita cathedra, (quod munus Dionysio Reuchlino, Johannis fratri, demandabatur), in ecclesiam valuerint reformandam, ad huncce pertinent locum, quare, his omissis, ad singula atque ad ipsam rem redeamus.

### Caput quartum.

De singulis in quas dissertatio distribuetur partibus.

Nostra dissertatio, qua Graeci sermonis per occidentalem Europam medio aevo persequemur vestigia, tribus constabit partibus, quarum prima eam nobis

<sup>35)</sup> Medio aevo medicinae ac naturae studium per Christianos neglectum, per Graecos vero atque Arabes est promotum atque auctum. Quantum ex Gregorio Turonensi potest conjici, ii potissimum saeculo sexto ex occidente Constantinopolin se conferebant, qui medicinae studebant. Gregor. Turon. X, 15.

<sup>36)</sup> Jost VI, 329. Cf. Schröckh, Kirchengesch. XXI, 273.

<sup>37)</sup> Heeren, Gesch. des Studiums der klassischen Literatur, I, 96.

<sup>38)</sup> Jourdain 8, 10, 92 seq.

ante oculos ponet Graecam linguam, quae natura fuit quaeque hereditate quasi a majoribus accepta a Graecis potissimum aut publice exercebatur et viva voce pronuntiabatur, aut in grammaticorum docebatur scholis. Utrumque praecepit per Africam septentrionalem, per Italiam et meridionales Galliae factum est provincias. Graecae enim linguae conditio prorsus videtur esse mutata saeculo demum nono, quo domi militiaeque, et in sacris et in civilibus rebus, Graeci ab Italies, orientales ab occidentalibus sunt separati ac sejuncti, quoque non solum Carolus Magnus, invitis Graecis imperatoribus, Romani imperatoris titulo est ornatus, verum etiam, rixis inter Photium et Ignatium exortis, orientalis ecclesia ab occidentali per Nicolaum I, summum Romanorum pontificem, sejungi est coepit.

In altera parte ea investigabitur Graeca lingua, quae a foro hominumque conspectu recedens in monasteria potissimum ac clericorum scholas confugit, quaeque non natura, sed arte, non usu sed doctrina est servata, regibus maxime fautoribus. Illa aetate, qua nonnisi in Italia inferiore atque in Sicilia Graeco sermone tamquam viyo utebantur, praeter clericos privati quoque magistri seu grammatici Graecis videntur studuisse. Priusquam Graeca a Latina sejungetur ecclesia, ita arcte Graeci, qui Romam aut venerant aut Romae considerant, cum Latinis fide ac cultu fuere conjuncti, ut festissimis diebus primae nocturnae lectiones in utraque decantarentur lingua, Latine in Romanorum, Graece in Graecorum usum.<sup>39)</sup>

In tertia denique parte id agetur, ut exponatur quantum incrementum ceperit Graeci sermonis studium ex sacris illis expeditionibus, quas omnes occidentales populi, praeter Hispanos, suscepserunt, ut s. terram expugnarent, quibus expeditionibus, quum occidenti permulta cum oriente ac Graecis intercederent frequentiusque esset commercium inter eos, qui in scholis ac levi digito Graeca attigerant interque eos, qui Graeca lingua ut vernacula ac domestica utebantur, Graecorumque scriptorum ut familiarium opera semper diligenter tractaverant, fieri non potuit, quin permulta Graeca ex orientali in occidentalem redundarent Europam, Graecaque studia magnopere incitarentur. Illarum expeditionum finis ac quasi fastigium est Constantinopolis per Turcas vexata atque expugnata, Graecorumque ad Italos fuga, a quo inde tempore instauratas Graecas literas repetere solent viri docti, si qui sunt, qui in haecce studia ea, qua par est, cura incubuerunt.

<sup>39)</sup> Amalarii quator libri de divinis s. ecclesiasticis officiis ad Ludovicum imperatorem 827 scripti. Cf. IV, 3, et supra pag. 6. Sequenti saeculo apud Graecos Grammaticae studium non jam in liberalibus numerabatur artibus.

### Caput quintum.

De Graecis per Africam septentrionalem studiis.

Liceat nobis, priusquam rem ipsam aggrediamur, ad eam respicere terram, quae cum orientali et occidentali Europa tunc fuit commercio et navigio conjuncta, ad Africam septentrionalem, unde, nisi egregie fallor, ineunte medio aevo permulta cultioris vitae Graecarumque literarum elementa in occidentem sunt translata. Taceo de Aegypto, quo potissimum Graecorum literae artesque, amissa libertate domestica, confugerant, taceo de schola catechetica, quae Alexandriae floruit<sup>40</sup>), taceo<sup>41)</sup> de Apulejo Madaurensi, qui sub Antoninis vixit quique doctrina sua Platonica atque Aristotelica nonnihil in Boëthium videtur valuisse, taceo denique de clarissimis Africae septentrionalis patribus ecclesiasticis, ut de Cypriano et Arnobio Carthaginiensibus,<sup>42)</sup> et pauca tantum de Marciano Capella (et de Vandalorum afferam imperio.

Marcianus Capella, qui aut Madaurae fuit natus, qua in urbe Augustinus grammaticam et rhetorican docebatur, aut Carthagine, ad rem scholasticam liberalesque medii aevi disciplinas tantum fere valuit, quantum Augustinus in theologiam. Marcianus enim, exeunte saeculo quinto non solum primus septem illas bonas artes, quibus docta [per medium aetatem continebatur educatio, ]quaeque septem cyclicae disciplinae<sup>43)</sup> mox in trivium et quadrivium dividebantur, communis conjunxit vinculo, verum etiam Graeca doctrina eminuit maxime, omnesque liberales artes, mathematicas potissimum et harmonicas seu quadrivium, ex Graecis repetivit fontibus, unde primus in Latinum derivavit fluvium<sup>44)</sup>, quamquam interdum in Graecia non acquieviet, sed nonnulla ad Aegyptios retulit, in quibus astronomiam per saecula occulta atque dialecticam esse educatam dixit.<sup>45)</sup> Quanta in Marciano Graecarum literarum fuerit doctrina patet ex ejus nuptiis philologiae et Mercurii et quidem maxime ex tertio libro, qui de arte grammatica agit, et in quo Graeca cum Latinis composuit verbis.

<sup>40)</sup> De qua accurate egerunt Guerike notissimo libro, et Hasselbach duobus programmatis 1836 et 1839.

<sup>41)</sup> Ne ad antiquam descendam memoriam, ad Herillum Stoicum atque ad Sosilum Graecarum literarum Carthagine docorem, Hannibalisque praceptorum. Cf. Cornel. Nep. Hannibal c. 13 et Cic. de oratore II, 18.

<sup>42)</sup> Vide quae supra de Tertulliano atque de Augustino attulimus.

<sup>43)</sup> IX, §. 998.

<sup>44)</sup> „Debetis quippe insolentiam perferrre sermonis, qui Grajam dissertare Latialiter compulisti.“ Mart. Capell. de septem artibus liberalibus lib. IV, §. 339.

<sup>45)</sup> Lib. VIII, §. 812 et IV, 330.

Crederes eo tempore, quo Vandali admodum rudes ac barbari de Africa septentrionali regnabant, Graecas literas prorsus esse extinctas, sed tantopere floruerunt, ut Thrasamundi, Vandalici regis,<sup>46)</sup> imperium ita celebrarent:

„Carthago studiis, Carthago ornata magistris,<sup>47)</sup>

utque Fulgentius natu Africanus, qui a Thrasamundo in Sardiniam ejectus indeque revo-  
catus, Ruspensis factus est episcopus, ut igitur Fulgentius, sub annum DXXXIII mortuus,  
primum Graecam disceret linguam, et tum demum, ubi omnia Homeri carmina edi-  
dicerat,<sup>48)</sup> multaque Menandri comici poetae legerat, Latino magistro traderetur.<sup>49)</sup>

Neque deerant scholae Afrorum, quas commemorat Virgilius Maro sexti  
ut fertur saeculi grammaticus, vel potius noni saeculi, si Osanno, viro harum rerum  
peritissimo, fidem habemus.<sup>50)</sup>

Ita fieri potuit, ut si qui sacerdotes saeculo sexto et septimo ex Africa in  
Europam veniebant, ibique cum verbo divino literas quoque docebant, p[er] caeteris  
Graecae guari essent linguae. Cujus rei postea afferemus exempla.

### Caput sextum.

De Italicis Graecarum literarum studiis et quidem maxime de grammaticis agitur.

In occidentali Europa una potissimum erat terra, in qua Graecae literae  
antiqua aetate floruerant maxime, Italia. Graeci quidem colonias in omnes  
maris mediterranei oras deduxerant, easque clavi instar in tunica sui sermonis  
auro ac suorum morum gemmis distinxerant, Graeca in Galliae atque Hispaniae  
oris audiebantur, neque vero unquam tantopere floruerunt quantopere in Italia,  
cujus inferior pars, in qua vel philosophorum scholae consederant, magna Graecia  
erat appellata, et quacum Sicilia, quae insula magis magisque vere Graeca redde-  
batur, intime erat conjuncta. Graeca omnino in Italia ita cum Romanis coaluerant  
ac concreverant, ut vix possent sejungi. Itaque ne posteriore quidem medio aevo  
in Italia prorsus jacuerunt Graeca studia, quamquam Latinorum minime aequave-  
runt gloriam adeoque proverbiali isto „Graeca non leguntur“ Graecarum literarum-

<sup>46)</sup> Mortuus est Thrasamundus anno 522.

<sup>47)</sup> Anthologia veterum Latinorum epigrammatum et poematum etc. cura Burmanni. Amstelodami VI,  
epigr. 85.

<sup>48)</sup> Ex veterum Romanorum ratione cf. Cramer, Gesch. der Erziehung, I, 440.

<sup>49)</sup> Papenkordt, Geschichte der vandalischen Herrschaft in Afrika, S. 297.

<sup>50)</sup> Cf. Angelo Mai classic. auct. V, praef. XII et pag. 72. Osann: Beiträge zur griechischen und römi-  
schen Literaturgeschichte, 2r Band, S. 134.

se esse ignaros doctissimi viri publice confitebantur. Etenim jam antiqua rerum memoria Graeci dii Latinis ita fuere immixti,<sup>51)</sup> Graecae literae cum Latinis ita conjunctae, ut ab altera lingua alteram vix possent sejungere homines, utque vel inviti a Latinis in Graeca delaberentur studia;<sup>52)</sup> nam Graeca ubique in Latinis resonabant floresque Latini magnam partem Graeco agro Graecisque radicibus germinaverant.<sup>53)</sup>

Quae quum ita essent, cum imperio Romano Graecae literae minime potuerunt dirui neque everti, sed cum Latina Graeca quoque perdurare debuit lingua. Etsi a strepitu forensi atque a publico usu est revocatus Graecus sermo, tamen in grammaticorum scholis, qui maxime antiquitatis lumen per medii aevi tenebras videntur reservasse, inter privatos docebatur parietes. Etenim grammatici non solum literarum elementis puerorum imbuebant animos, verum etiam eundem, quem hodie philologi, obtinebant locum,<sup>54)</sup> ut in antiquarum rerum versarentur memoria, pueros ac juvenes<sup>55)</sup> erudirent, poetas explicarent, in eorumque et res et linguam accuratius inquirerent, quaeque alia hujus munera sunt officia, ut etiam quinto post Christum saeculo, aequa ac Ciceroniana atque Horatiana aetate in grammaticis continerentur poëtarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, scriptorum censura.<sup>56)</sup>

Jam quum Suetonii aetate grammaticae, „gratia et cura ita crevisset, ut quibusdam temporibus super viginti celebres scholae in Urbe essent — ac nonnulli de notissimis doctoribus peregre docerent, maxime in Gallia togata,”<sup>57)</sup> quum Quintiliano auctore<sup>58)</sup> optime esset institutum, ut ab Homero (atque Virgilio) lectio inciperet, praeter quem alii Graeci auctores tractabantur, quumque senatui urbis Romae Athalaricus Gothorum rex (ab anno DXXVI—XXXIV) scriberet:

<sup>51)</sup> Quo factum est ut præ caeteris Graecorum mythologia esset nota, utque vel sancti patres non sine vana quadam gloriola demonstrarent se Graecorum mythorum non esse ignaros. Cf. Abbonem sancti Germani monachum in carmine, de bellis Parisianæ urbis I, v. 76. Unde versus, ut Huchaldi in carmine de calvitie: Cythia cessabit chryseos conferre colores.

<sup>52)</sup> Ut Cato censorius. Cramer, Gesch. der Erzieh. II, 573 seq.

<sup>53)</sup> De studiis p. 26 seq.

<sup>54)</sup> Cf. supra pag. 7, not. 28.

<sup>55)</sup> Ars grammatica ac rhetorica non ita accurate semper sejungebantur. Cramer, Gesch. der Erzieh. I, 440—444.

<sup>56)</sup> Cie. de orat. I, c. 42. Horat. epp. I, 19, 40.

<sup>57)</sup> De illustr. gramm. c. 3.

<sup>58)</sup> I, 8. ss. Plin. epp. II, 14, ab Homero in scholis auspicari.

„grammaticorum schola est fundamentum pulcherrimarum literarum<sup>59)</sup>“ quid mirum, si quum usu ac consuetudine tum maxime scholis ac doctrina Graeca studia et servabantur et proferebantur?

Magnum commodum utriusque linguae studium cepit ex Dosithei<sup>60)</sup> opera, qui magister appellabatur, quiq[ue] tertio post Christum saeculo in usum juris studiosorum ex Ulpiani potissimum, sui aequalis, scriptis Graece et Latine grammaticam cum exemplis seu collectionibus composuit. Libro primo suorum ἐργησιμάτων de tribus agit orationis partibus, alter est lexicon, tertio collectae sunt narratiunculae, fabulae, epistolae, Hadriani leges, alia.<sup>61)</sup> Romanum quidem a Graeco sejunctum erat imperio per Theodosium magnum, grammatici vero qui quinto et sexto saeculo vixerunt, ut Priscianus et ejus discipulus Eutychius, qui Constantinopoli docebant, quam arcte alterum cum altero sit conjunctum, comparata utraque lingua studuerunt comprobare. Eutychius in libello „de discernendis conjugationibus“ saepe Graeca cum Latinis composuit, ejusque discipulus Craterus, cui libellum dicavit „omni Graecorum facundia et doctrina Romana superavit alias.“<sup>62)</sup>

Utraque lingua eo magis debuit componi, ex quo Theodosius alter anno CCCCXXV Constantinopoli scholam illam seu literarum universitatem, quod auditorium appellabatur, condidit, qua alterum auditorium, quod jam antea in Capitolio (octava urbis regione) fuerat et auxit et amplificavit. In Theodosiano auditorio decem docebant Latini grammatici, quorum unus erat Cledonius, qui „Romanus senator, Constantinopolitanus grammaticus“ apud Putschium nominatur,<sup>63)</sup> ac tres Latini rhetores Romanam linguam et eloquentiam<sup>64)</sup>. Neque minus Romae in Athenaeo ab Hadriano condito, quo Alexander Severus saepe se contulit, ut Graecos et Latinos rhetores ac poetas audiret,<sup>65)</sup> Graecae vel quinto saeculo exeunte videntur esse habitae declamationes.<sup>66)</sup>

<sup>59)</sup> Cassiodor. Var. IX, 21.

<sup>60)</sup> Cf. Dosithei Interpretamentorum libb. III, Graece et Latine. Bonn 1832. Fabricii biblioth. Graeca. VI, p. 365 ed. Harles. Geschichte der römischen Literatur von Bähr, II, 654.

<sup>61)</sup> In monasterio Sangallensi ex Dosithei grammatica Graeca docebatur lingua. Cramer, Gesch. der Erzieh. in den Niederlanden, p. 56.

<sup>62)</sup> Lindemann corpus Grammaticorum I, 153. Osann II, 162.

<sup>63)</sup> Osann II, 314.

<sup>64)</sup> Codex Justin. XI, tit. 18. Cramer, Gesch. der Erzieh. I, 475.

<sup>65)</sup> Lampridius in Alexandri Severi vita c. 16.

<sup>66)</sup> Sidon. Appollin. epp. II, 9. IV, 8. IX, 9. Symmachi epp. I, 15. Cassiodori Var. IX, 21.

Flavius Sosipater Charisius, natione Campanus, grammaticorum Latinorum praestantissimus, qui facile esse potuit unus ex primis novae scholae Constantino-politanae magistris, probat copiosissimam utriusque linguae doctrinam, Latina saepe cum Graecis componendo. Item auctor ejus grammaticae, quae M. Claudii Sacer-dotis subjuncta est arti, quaeque multa Charisii habet simillima, semper ita comparat Graeca cum Latinis itaque utriusque linguae est gnarus, ut vel Latina exempla plerumque Graecis interpretetur verbis<sup>67)</sup>.

In universitate Constantinopolitana, in qua unum et triginta professores esse volebat imperator, quum quinque essent sophistae, unus qui philosophiam, duo qui jurisprudentiam docerent — medicorum<sup>68)</sup> doctorum incertus est numerus — inde a saeculo decimo, quo grammatica non jam in variis disciplinis numera-batur<sup>69)</sup> interpretes potissimum seu Graecoloni i. e. Graecae linguae gnari, eru-diti videntur esse, quos Liudprandus commemorat<sup>70)</sup>). Neque minus quam aucto-rum interpretationi prospiciebant imperatores manuscriptis et restituendis et emendandis per antiquarios, quorum quatuor Graecos et tres Latinos Valens et Gratianus Constantinopolitanae adjunxerunt bibliothecae, quo Graecorum auctorum exemplaria bene atque accurate scripta memoriae traderentur<sup>71)</sup>). Ne vero diutius in singulis grammaticorum rebus haereamus totam materiem paucis complec-tentur verbis. Medio aevo scholae quidem ad episcopales aedes atque in mona-steriis conditae primum tenent locum, praeter has autem privatae grammatico-rum scholae, et quidem potissimum in Italia atque in Gallia<sup>72)</sup>). Quum multi theologi, priusquam ad sacras se verterent literas, aut grammatici seu rhe-tores<sup>73)</sup> fuissent ut SS. Cyprianus, Tertullianus, Julius Africanus in Africa, SS. Avitus, Ennodius, Sidonius in Italia et Gallia, aut praecipua cura in grammaticam

<sup>67)</sup> Osann II, 310, 321 seq. Bähr II, 605.

<sup>68)</sup> vide supra pag. 9 not. 35.

<sup>69)</sup> In rhetorics et philosophicis quae saeculo decimo Constantinopoli docebantur, ubi Constantinus Por-phyrigenitus (911—959) instauraverat bonarum artium scholas, et quidem ita, ut sola rhetorica doceretur, grammatica vero, qua ante Graeci Latina docebantur, omittetur, Demosthenis rhetorica et Aristotelis syllogismi laudantur, in quorum studium Simeon quoque, Bulgaro-rum rex, „quem emiargon i. e. semigraecum esse ajebant“ incubuit. Liudpr. Antapodos. III, 29.

<sup>70)</sup> Liudp. legatio c. 53 et 54.

<sup>71)</sup> Cod. Theod. lib. XIV, tit. IX, de studiis liberalibus.

<sup>72)</sup> Quod Ratherii, si fieri potest, probabimus exemplo.

<sup>73)</sup> Omnino rhetorum ac sophistarum multo majorem fuisse auctoritatem in Graeco potissimum regno, quam viri docti censem, jam Petri Patricii et Procopii docemur exemplis.

incubuissent, quumque grammatica plurimam liberalem complecteretur doctrinam, factum est ut grammaticae nomine literas omnino comprehendenderent eamque isagogē quasi in theologiam<sup>74)</sup> esse censerent. Neque vero semper grammaticae seu liberalium artium studium ad divinas dicit literas, sed abducit etiam interdum ab ea, eamque grammaticam sive humanarum rerum cognitionem, quatenus theologiae seu divinarum rerum scientiae est opposita, nominaverunt plerumque philosophiam<sup>75)</sup>. Utut est, sive sunt theologi sive philosophi privati literarum magistri eos optimos fuisse Graecae linguae fautores ac cultores nemo facile negabit. Quantam equidem video privatæ illæ scholæ prima sunt nostrarum universitatum incunabula seu liberorum conventuum, in quibus juvenes literarum studiosi doctissimum quemque sequebantur magistrum, ex libero animi arbitrio.

### Caput septimum.

Ostrogothi et quidem Boëthius potissimum atque Cassiodorus Graecarum literarum laudantur instauratores.

Invaserunt quidem Italiam multi barbari, in quibus Ostrogothos præ caeteris nomino, sed multum absuit, ut hi Graeca opprimerent, ut novum Graecarum literarum amorem incenderent, quippe qui ex Graecis venientes provinciis Graecæ linguae essent periti, atque non solum Graeca semina, quae in Gallia togata sive in Italia superiore<sup>76)</sup> colebantur, etenim Ticini, (Paviae) Mediolani, Cremonae, Ravennæ, Parmae<sup>77)</sup> celeberrimæ tunc fuisse dicuntur scholæ, exciperent liberaliter, verum etiam ex orientalibus suis provinciis Graecam ex recenti quasi fonte afferrent linguam, cui, ut sibi ipsis, novam conderent patriam. Jam Uphilas, clarissimus ille Gothorum episcopus, qui scripturam sacram ex septuaginta in Gothorum vertit linguam, quique anno CCCLXXXVIII Constantinopoli est mortuus, teste Auxentio, suo discipulo, „Graecam et Latinam et Gothicam linguam sine intermissione in una et sola ecclesia Christi praedicavit.“<sup>78)</sup> Verum enim vero

<sup>74)</sup> Cramer, Gesch. d. Erzieh. in den Niederlanden, p. 87.

<sup>75)</sup> Giesebricht de literarum studiis, p. 15 et 16.

<sup>76)</sup> Quae ibi fuerit literarum conditio vide in Cramer, Gesch. der Erzieh. I, 479.

<sup>77)</sup> De Parma haecce canebantur:

Chrysopolis dudum Graecorum dicitur usu

Aurea sub lingua sonat urbs haec esse Latina

Scilicet urbs Parma, quia grammatica manet alta

Artes ac septem studiose sunt ibi lectae.

Cf. Scriptores rer. Italic. tom. 5, p. 354. Tiraboschi storia della letter. Itali. etc. III, p. 259.

<sup>78)</sup> Das Leben u. die Lehre des Ulfila von Georg Waitz. Hannover 1840, p. 54—56.

Gothi inter omnes Germanorum gentes aliorum populorum linguis ac moribus se dederunt adeo, ut vel suam ipsam linguam, nimio aliorum studio, negligerent. Quod non solum in Ostrogothis videmus, verum etiam in Visigothis, qui in Hispania considentes Romanicam linguam tam celeriter arripuerunt, ut ne unum quidem librum, suaे Germanicae linguae testem, reliquerint.

Quo tempore Ostrogothi in Italia superiore vitae posuerant tabernacula, Theodericus rex senatui Romano commendavit candidatum „qui Cecropii dogmatis Attico se melle saginavit,”<sup>79)</sup> atque Amalasuntha, quae patri Theoderico in imperio successit, Gothice, Latine, Graece loquebatur, itaque in Graecis et Romanis versata erat literis, ut in utraque lingua cum legatis, sine ullo interpretum auxilio, posset colloqui.<sup>80)</sup> Quin adeo Theodatus seu Theodahatus, filius Amalafridae, sororis Theoderici regis, praeter Latinas literas Platonicae gnarus fuit philosophiae.<sup>81)</sup>

Theoderici aetate Ennodius (qui anno DXXI. est mortuus), cuius patriau rbs Arelate erat, sedecim annos natus Mediolani, quo amitae cura erat missus quaque in urbe Deuterius quidam tunc fuit scholae rector seu grammaticus, studiis se dedit atque Graecis potissimum operam navavit, quod et ex ejus operibus cognoscimus et ex itineribus duobus, quae papae jussu Constantinopolin fecit ad Anastasium imperatorem.<sup>82)</sup> Ennodius laudat magnopere eloquentiae scholas per Italiam superiore florentes et celebrat prae caeteris magistris Faustum Graeca et Latina doctrina ita eminentem, ut Demosthenis et Ciceronis in se conjungeret eloquentiam.<sup>83)</sup> Ennodius ipse multa scripsit, „ut septem dictiones scholasticas“ Ravennaeque,<sup>84)</sup> ubi plures privatae scholae, oratione publica gymnasium aperuit, quod Boëthio et Cassiodoro auctoribus erat conditum.<sup>85)</sup>

Maximam tunc Graeca sua doctrina sibi paravit gloriam Dionysius

<sup>79)</sup> Cassiodor. Var. II, 3.

<sup>80)</sup> Procop. Hist. arc. c. 16. Cassiod. Vari. XI, 1: „Atticae facundiae claritate diserta est.“ Ad Amalasuntham tunc mittebatur legatus Petrus cognomine Patricii anno 554, qui, alter Gorgias Leontinus, Constantinopoli fuit sophista et causidicus. Procop. hist. Gothorum I, 3. Cassiod. Var. X, 19. Cf. supra pag. 2.

<sup>81)</sup> Procop. de bello Gothicō I, 3: Θεοδάτος Λατινῶν μεταλαχὼν καὶ δογμάτων Πλατωνικῶν, et I, 6: ἀπὸ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς. Cassiod. Var. I, 10.

<sup>82)</sup> Histoire littéraire de la France, III, 96. Manso, Geschichte der Ostgothen, 435.

<sup>83)</sup> Ennodii epp. I, 5. IV, 2.

<sup>84)</sup> Ubi Fortunatus poëta (mortuus circa annum 600) est natus atque educatus.

<sup>85)</sup> Gymnasiī Ticinensis historia auctore Gatto p. 36. Ampère, histoire littéraire de la France avant le douzième siècle, II, 313.

**e**x i g u u s, abbas, (mortuus ante a. DLVI), qui ex Scythia, prisca Ostrogothorum sede<sup>86)</sup> oriundus, quum suis scriptis tum canonum collectione Romani episcopi auxit potentiam, ejusque scientiam et Gaeacam et Latinam, qua multa Graeca reddidit Latina, extulit Cassiodorus amicus.<sup>87)</sup> Vertit nonnulla Gregorii Nyssensis, Procli Constantinopolitani, Cyrilli opera, Gregorii Emisaeni de conditione hominis, Protherii Alexandrini episcopi ad Leonem papam scripta et alia.<sup>88)</sup> Imo tanta erat saeculo sexto utriusque linguae et apud orientales et apud occidentales cognitio, quam Justinianus Italia subjecta auxit magnopere, ut aequa atque antea, labente vetere Romano imperio, multi Romanorum auctores Graece scripserant, tunc Graeci Latine scriberent. Satis est nominasse Jordanem sive Jornandem, quem non fuisse Ravennae episcopum sed regnante Justiniano Constantinopoli vixisse est verissimum.<sup>89)</sup> In libro, quo Jordanes de rebus Geticis agit, Strabonem, Ptolemaeum, Dionem Cassium maxime ante oculos habuit.<sup>90)</sup>

Longe maximam Graecam literarum doctrinam in Ostrogothorum imperio habuit Cassiodori Ennodique aequalis **S**everinus Boëthius,<sup>91)</sup> qui adeo eminuit Graeca sua scientia, ut eum duodeviginti annos Athenis literis vacasse dicerent, quam fabulam, cuius fontem in libello de disciplina scholarium scripto habent, (qui decimo, tertio saeculo Boëthio fuit suppositus,) <sup>92)</sup> inde crediderim esse exortam, quod Graeca Boëthii doctrina tunc tanta fuit, quam quae in occidente videretur comparata.<sup>93)</sup> Boëthius re vera Graecarum literarum si non servator, certe instaurator apud occidentales potest appellari. Neque enim solus Theodosius in clarissima sua epistola,<sup>94)</sup> verum etiam Procopius<sup>95)</sup> eum cum Symmacho philosophiam tractasse narrat. Prae caeteris de Aristotele optime meritus est Boëthius, omnia enim logica, moralia, physica Stagiritae scripta, et omnes Platonis

<sup>86)</sup> Ubi Graecis quoque studebant. Cf. Cramer, de stud. pag. 6.

<sup>87)</sup> Cassiodor. de institut. divin. liter. e. 23.

<sup>88)</sup> Tritheimus de script. eccles. p. 240, et Grässer, Lehrbuch der Literaturgeschichte, I, 517.

<sup>89)</sup> De fontibus libri Jordanis: de origine etc. ser. de Sybel, cap. 5—10.

<sup>90)</sup> Natus circa annum 475, mortuus 525, Theodosio regnante summis ornatus honoribus ac postremo interfectus.

<sup>91)</sup> Savigny, Geschichte des römischen Rechts, III, 339.

<sup>92)</sup> Cf. Cassiodor. Var. I, 45, ubi Theodosius haecce ad Boëthium scripsit: „Sic Atheniensium scholas longe positus introisti, sic palliatorum choris miscuisti togam, ut Graecorum dogmata doctrinam feceris esse Romanam.“ Haec sunt, unde Boëthium Athenis fuisse concluserunt maxime. Sed Theodosius metaphorice est locutus atque omnia ad animum tantum retulit.

<sup>93)</sup> In Cassiodori Var. I, 45. Cf. Ennodii epp. VII, 13. VIII, 1, 26.

<sup>94)</sup> De bello Goth. I, 1. (H. 167.)

dialogos vertere talique versioni utriusque philosophi comparationem ac concordiam addere voluit. Legimus enim in Boëthiano commentario ad Aristotelicos de interpretatione libros scripto haecce: „ego omne Aristotelis opus, quodcumque in manus venerit, in Romanum stylum vertens, eorum omnium commenta Latina oratione perscribam, ut, si quid et logicae artis subtilitate, et ex moralis gravitate peritiae, et ex naturalis arumine veritatis ab Aristotele conscriptum est — omnesque Platonis dialogos vertendo, vel etiam commentando in Latinam redigam formam. His paratis non equidem contempserim Aristotelis Platonisque sententias in unam quodammodo revocare concordiam etc.“<sup>95)</sup>

Accurate agit de Aristotelicis Boëthii meritis Cassiodorus in libro de septem disciplinis, et quidem maxime in ultima dialectica, ubi de locis rhetoriciis agit, in quibus haecce: „Isagogen transtulit patricius Boëthius, commentaque ejus gemina derelinquens. Categorias idem transtulit, cuius commenta tribus libris ipse quoque firmavit. Peri hermenias Boëthius transtulit in Latinum: cuius commenta ipse duplicita minutissima disputatione tractavit. Apulejus Madaurensis<sup>96)</sup> syllogismos categoricos breviter renodavit, Boëthius vero de syllogismis hypotheticis lucidissime tractavit — et topica Aristotelis octo libris exposuit et in Latinum vertit eloquium.“ Porphyrii<sup>97)</sup> isagogas in Aristotelis categorias verterat quidem Victorinus orator ex Graeco in Latinum commentumque ejus quinque libris ediderat Boëthius,<sup>98)</sup> sed postea ipse transtulit verbotenus atque in hanc versionem Abaelardi habemus glossas.<sup>99)</sup> Quae Aristotelica Latina reddiderit Boëthius, quaeque commentatus sit — in quibus liber de interpretatione scriptus, categorica, logica primum tenuit locum — non est ut fusius exponamus,<sup>100)</sup> id tantum moneamus, Boëthium, in cuius quinque musicis libris multa habemus Pythagorica, ut in duobus geometricis multa Euclidica,<sup>101)</sup> primum quadripii usum esse nomine, quod medio aeo plurimum valuit,<sup>102)</sup> ejusque versiones tanti esse aestimatas, ut multae in versu-

<sup>95)</sup> Jourdain, pag. 161, 165, ubi Haimonis, Honorii, Sigiberti Gemblacensis testimonia de Graeca atque Aristotelica Boëthii doctrina.

<sup>96)</sup> Vide quae supra monuimus pag. II.

<sup>97)</sup> de quo cf. Johannes von Salisbury von Reuter, p. 12.

<sup>98)</sup> Isidorus Orig. II, 25.

<sup>99)</sup> ut Cousin in Abaelardi operibus ineditis exposuit.

<sup>100)</sup> Cf. Grässle I, 495—497.

<sup>101)</sup> Aristoteli quidem maxime secutus est Boëthius, unus vero isque celeberrimus liber de consolatione philosophiae præ ceteris Platonicam videtur redolere philosophiam. Cf. locum de astronomicis, musicis, naturalibus rebus in consolat. I, 2, v. 6—23.

<sup>102)</sup> de arithmet. I, 1.

redigerentur,<sup>103)</sup> multa denique Boëthiana verba, ut subjectum, praedicamentum quantitas, qualitas, alia, in philosophia per medium et per recentem aetatem semipiternam quasi accepisse civitatem.<sup>104)</sup>

Ut hoc loco paucis meam de medii aevi literis dicam sententiam praeter scripturam sacram Aristotelii plurimum studebatur, ut vero illam non Hebraica lingua neque Graeca lectitabant scriptam sed vulgatae auxilio, ita Aristoteles Boëthii tantum opera cognoscebatur. Qualis vulgata bibliis, talis Boëthius est Aristotelii. Neque solum in philosophia secuti sunt Boëthium, verum etiam alii scriptores eum exscripserunt, ut Luidprandus plurimos suos versus, quos in Antapodosi legimus, ex Boëthiana philosophiae depromsit consolatione.<sup>105)</sup>

In Graecis quum clericos tum maxime laicos illis temporibus studuisse optime possumus perspicere ex Magni Aurelii Cassiodori scriptis, qui, quum esset sub Odoacro comes privatarum rerum et donorum, sub Theoderico, Amalasuntha, Theodato magister officii et praefectus praetorio, donec in monasterium Vivariense in Bruttis situm anno DXXXIX se contulit, haec de se fecit verba: „cum studia saecularium literarum magno desiderio fervore cognoscerem, ita ut multa pars hominum per ipsa se mundi prudentiam crederet adipisci, gravissimo sum, fateor, dolore permotus, quod scriptoribus divinis magistri publici deessent, cum mundani auctores celeberrima procul dubio traditione pollerent.“<sup>106)</sup> Quae quum ita essent nil antiquius habuit Cassiodorus, quam ut divinas cum liberalibus conjungeret artibus atque communi utrasque propinquitatis quasi contineret vinculo. Ipse, qui in Graecis optime erat versatus, quique „tam saeculari quam divina scientia claruit“<sup>107)</sup> literarum studium in monasteria introduxit suoque effectu exemplo, ut monachi libros describerent; egit enim uno libro de septem liberis artibus,<sup>108)</sup> altero de orthographia, quo id curavit, ut libri quam accuratissime transsscriberentur, quoque „ex Graecarum

<sup>103)</sup> Les Manuscrits français de la bibliothèque du roi, leur histoire etc. tom 5, Paris 1843.

<sup>104)</sup> Trendelenburg elementa log. Aristotel. pag. 51 ed. alter. Simillimi sunt Cassiodori termini technici in libro de septem diciplinis scripto, in quo accuratius agit de dialectica.

<sup>105)</sup> Köpke de vita et scriptis Luidprandi, p. 139. Caeterum Boëthium non fuisse Christianum, sed paganus nuperrime bene exposuit Obbarius de Boëthii religione et philosophia in sua consolationis Boëthianae editione.

<sup>106)</sup> Cassiodori opera, Venetiis 1729, p. 508.

<sup>107)</sup> Paulus diaconus de gestis Longobardorum I, 25.

<sup>108)</sup> In libro de septem liberis artibus neque trivii neque quadrivii usus est nomine Cassiodorus, composuit vero eas ex consueto ordine, grammaticae, rhetoricae, dialecticae, arithmeticæ, geometriae, musicæ, astronomiae, et quidem ita, ut magna doctrina afferat, quae et Graeci et Latini scriptores in singulis praestiterint ac proposuerint.

literarum similitudine“ regulas posuit, tertio de institutione divinarum literarum, in qua iis, qui aegrotos curabant, Latinos ex Graecis versos libros de medica commendat arte.<sup>109)</sup> „Quodsi vobis, inquit, non fuerit Graecarum literarum nota facundia — legite Hippocratem et Galenum Latina lingua conversos“. Ecce Salernitanae scholae sive universitatis quasi incunabula!

Cassiodorus in bibliotheca usum multos libros ex Graeca in Latinam transferri jussit linguam, ut historiam ecclesiasticam, quam tripartitam vocant, quamque ex trium Graecorum auctorum, ex Socratis, Sozomeni, Theodoreti historiis ecclesiasticis, per Epiphanium<sup>110)</sup> scholasticum vertendam curaverat, atque ipse in unam redegerat epitomen. Neque minus Flavii Josephi antiquitatum Iudaicarum libros viginti duos Latine jussit reddi Cassiodorus,<sup>111)</sup> ejusque bibliotheca Vivariensis, quam in libris de institutione divinarum scripturarum et de artibus ac disciplinis liberarum literarum accuratius descripsit, praeterea hosce continuit libros aut Graecos aut ex Graeca lingua in Latinam versos: Josephi sex libros περὶ τῆς ἀλώσεως,<sup>112)</sup> decem volumina Eusebianaे historiae a Rufino Latine redditiae, Hippocratis opera et quidem singulariter ejus librum de herbis et curis, Galeni therapeutica ad philosophum Glauconem, alia medica scripta, Gaudentii tractatum de musica Mutiani scholastici opera et studio Latine redditum<sup>113)</sup>. Omnino libros multos undecunque erat, etiam ex Africa, concessit Cassiodorus<sup>114)</sup> Graecisque libris singularem in bibliotheca sui monasterii assignavit locum, nisi forte primus media aetate Graecam condidit bibliothecam. „Chrysostomi, inquit, epistolas Attico sermone expositas in octavo armario dereliqui, ubi sunt Graeci codices congregati.“<sup>115)</sup>

Saeculares scriptores et quidem cosmographos, ut Ptolemaeum, ullo modo esse negligendos negavit,<sup>116)</sup> maxima vero cura versatus est in duabus Aristotelis libris, in dialecticis et in topicis,<sup>117)</sup> atque scripsit commentaria in libros περὶ

<sup>109)</sup> cf. cap. 31, ed. Venet. II, p. 526.

<sup>110)</sup> Schröckh histor. eccles. tom. XVI, p. 151.

<sup>111)</sup> De instit. divin. scriptur. c. 17.

<sup>112)</sup> Cf. Fabricii biblioth. Graec. III, 230.

<sup>113)</sup> Cassiod. de instit. div. c. 8. et Fabrici bibl. Gr. II, p. 264. De universa Vivariensi bibliotheca per Cassidorum condita, cf. Serapeum, Zeitschrift für Bibliothekswissenschaft etc. II, p. 53.

<sup>114)</sup> Cassiodori de septem lib. art. c. 8.

<sup>115)</sup> Mabill. annales ordin. S. Bened. I, p. 125.

<sup>116)</sup> Cassiod. lib. laud. c. 25.

<sup>117)</sup> Cassiod. opera ed. Venet. II, p. 571, 575, 580 et Grässer I, 498.

ἐρμηνειας et in τοπικᾳ. Provocat ipse in libro, qui est de dialectica, ad ea „quae in prioribus resolutoriis ab Aristotele vertimus“. Prae ceteris sacra potissimum scripta monachis suis commendat legenda<sup>118)</sup>) Cassiodorus. Vertit quidem in monachorum usum Graecorum patrum et utriusque testamenti scripta, neque vero eos Graecae aut Hebraicae linguae prorsus supersedere posse cognitione judicat, nam in libro, quo de institutione divinarum scripturarum<sup>119)</sup> agitur, legimus: „Si (in scriptura sacra) alia verba reperiuntur absurde posita, aut ex his codicibus, quos beatus Hieronymus in editione septuaginta interpretum emendavit, vel quos ipse ex Hebreo transtulit, — intrepide corrigenda sunt: aut, sicut beatus Augustinus ait, recurratur ad Graecum pandectem, — vel quibus possibile fuerit Hebraeam scripturam vel ejus doctores requirere, non detrectent.“ Unde videmus Graeca tunc netiora fuisse quam Hebraica.

Maxime quidem in Italia inferiore, in qua Cassiodorus vixit, prioribus mediis aevi saeculis Graeca floruit lingua; qualis enim priscis Romanorum temporibus illa erat terra, quae magna Graecia nominabatur, talis medio aevo summo jure potest appellari, quippe quae piae caeteris Graecas coleret artes; neque vero minus Romae, qua in urbe tres praceptorum, „grammaticus, orator, juris expositor“ tunc<sup>120)</sup> publice docuerunt, et quam scholam vel Syracusani (Graeci) frequentaverunt juvenes regnante Theoderico, Graecam doctam esse linguam est verisimillimum.<sup>121)</sup> Virgilius quidem Maro, grammaticus ille de quo supra plura fecimus verba, laudat<sup>122)</sup> „Rheginum Cornelium, virum satis eloquentem, Graecae et Hebraicae linguae promptissimum interpretem, cuius in Latino sermone fulgor ingenii tantus erat, ut nihil obscurum relinquere videatur etc.“ Praeter hunc laudat Virgilius Gregorium quendam Aegyptiam, Graecis studiis valde deditum, Balapsitum Nicomedensem „nuper mortuum,“ qui Graecos libros Latinos reddidit,<sup>123)</sup> Galerium, sui temporis grammaticum, qui quinque volumina de statu regali ex Graeco in Latinum transtulit sermonem.<sup>124)</sup>

<sup>118)</sup> Ibidem cap. 8.

<sup>119)</sup> de instit. div. c. 15.

<sup>120)</sup> Vari. IX, 21.

<sup>121)</sup> quod quidem patet ex Cassiodori verbis modo allatis de nimio saecularium scriptorum studio.

<sup>122)</sup> Virgilii Maronis VIII epistolae ad diaconum Julium Germanum de octo partibus orationis in A. Mai auct. Classic. tom V, q. 37, ubi haecce: „multa super verbi explicazione concilia apud Romanos habita —, quibus multi et famosissimi praefuere viri, Julianum dieo et Terentium, Galbungum et Glengum et duos Gregorios, Regulum et Rheginum Cornelium“ etc.

<sup>123)</sup> Mai auct. class. V, p. 128.

<sup>124)</sup> Ibidem p. 55.

### Caput octavum.

Gregorium magnum pontificem maximum Graecarum literarum atque humanitatis studii fuisse inimicum demonstratur.

Boëthius medium tenet locum inter classicam, quam dicunt, antiquitatis interque christianam medii aevi doctrinam ea re, quod Graecam philosophiam, quae usque eo regnaverat, in Romanam, jamjam christianam, linguam vertit, est enim semigraecus et semilatinus (qualis Cicero Romanis in philosophia, talem Boëthium habemus Christianis); in Cassiodoro vero, quem semimundanum et semi-monachum dixerim, speculum quasi suae videmus aetatis ac mutatae religionis. Etenim ut ipse, deposito rerum humanarum tamquam inanum studio, in monasterii confugit solitudinem, ibique deo se suamque doctrinam dicavit,<sup>125)</sup> ita sexto potissimum saeculo exeunte homines omnino neque in solem atque in pulverem suam producebant doctrinam, neque laeto animo literarum carpebant flores, sed magis magisque se totos in tetrica illa ac tristi collocabant dei cognitione, quae monasteriorum est, quaque animum quasi a corpore abstrahebant, rati, diligens literarum studium accuratamque paganorum scriptorum lectionem divinae scientiae non solum non prodesse, imo obesse. Quae quum ita essent, facile potuisset fieri, ut Graeca studia mox jacerent, nisi privatis lectionibus<sup>126)</sup> Graecae essent cultae literae, quibus ii, qui non prorsus se dedebant rebus divinis, privatam suam ac singularem libertatem conabantur et retinere et augere, nisi praeterea in singulis monasteriis singuli viri tam pietate quam doctrina excellentes, praeerunte maxime Cassiodoro, saecularium ac christianarum literarum studia conjunxissent, itaque antiquitatem quasi per medium aetatem pertulissent ac nova antiquis fulsissent. Classicos et Graecorum potissimum scriptores fuisse neglectos non est mirandum, quum exeunte saeculo sexto Irenaei opera atque Eusebiana martyrum historia<sup>127)</sup> neque in Romanae ecclesiae neque in caeteris Romanis bibliothecis essent<sup>128)</sup>. Graeci enim in bellis cum Ostrogothis gestis Graecos videntur collegisse libros atque in orientem secum tulisse, eodem modo, quo postea praeter alios Constans imperator anno DCLXIII alia antiquitatis artifia Roma et Syracusis Constantinopolin transportavi<sup>129)</sup>.

<sup>125)</sup> quod videmus ex Cassiodori clausula inedita operis de artibus et disciplinis liberalium in Mai class. etc. tom. III p. 350—357.

<sup>126)</sup> vide supra p. 13.

<sup>127)</sup> πρετό τῶν ἐν Παλαιστίῃ μαρτυρησάντων.

<sup>128)</sup> Gregorii Magni epistolae 8, 29 et 9, 50; unde videmus tunc plures Romae fuisse bibliothecas.

<sup>129)</sup> Paul. Diacon. histor. Longob. 5, cap. 11 et 13.

In hanc rerum ac studiorum mutationem, qua inde a saeculo sexto neque in philosophia neque in universis literis quidquam, quod ad gentiles seu paganos pertinet, magni est momenti, praeter alias res multa contulit Gregorius magnus, pontifex maximus. Gregorius patribus ecclesiasticis, ut Augustino potissimum, magnam navavit operam cantuique sacro prospexit magnopere, literas autem veterum Romanorum et Graecorum neglexit eaque usus est in scribendo Latinitate, qua de Gregorii Turonensis verbis<sup>130)</sup> vehementer dubitamus: „Gregorius literis grammaticis dialecticisque ac rhetoricas ita erat institutus, ut nulli in ipsa urbe putaretur esse secundus.“ Imo Gregorius in postrema dedicatione moralium librorum ad Leandrum, Hispalensem episcopum, quocum Constantinópoli fuerat, capite quinto scribit: „ipsam artem loquendi, quam magisteria disciplinae exterioris insinuant, servare despexi, — non barbarismi confusionem devito, hiatus motusque etiam et praepositionum casus servare contemno, quia indignum vehementer existimo, ut verba coelestis oraculi restringam sub regulis Donati.“ Itaque Desiderium, Viennensem episcopum, objurgat, quod grammaticam quosdam doceret „quia<sup>131)</sup> in uno ore cum Jovis laudibus Christi laudes se non capiant.“<sup>132)</sup> Graecae linguae Gregorium fuisse ignarum neque unquam librum Graece conscripsisse et ipse fatetur<sup>133)</sup>, et ex Johanne Diacono, qui saeculo nono Gregorianam scripsit vitam, potest cognosci; nam apud Johannem<sup>134)</sup> haecce legimus: „Sola deerat interpretandi bilinguis peritia, et facundissima virgo Cecropia, quae quondam suae mentis acumina Latinis tradiderat, imposturarum sibi praestigia vindicabat,“ i. e., quantum video, Graeca lingua in usum medicorum ac physicorum, qui ex mediis aevi sententia erant magi ac praestigiatores, copta est adhiberi. Graecis igitur verbis morbi, herbae, lapides, naturales omnino res media ex primebantur<sup>135)</sup> aetate, iisque locis, quibus medica ars docebatur, Graeca p[ro]ae caeteris florebant studia, ut Salerni et Massiliae. Pro magna, quae papae tunc erat auctoritas, quum ex fidelium sententia in literis quoque esset summus judex, non est quod miremur, quod inde a

<sup>130)</sup> histor. Francorum X, 1.

<sup>131)</sup> epp. 9, 48.

<sup>132)</sup> quae erat omnium fere novorum Christianorum opinio, cf. Semisch, Justin der Märtyrer, I, 204 et 205.

<sup>133)</sup> epp. 6, 27. 29. 8, 42. 9, 49.

<sup>134)</sup> II, 14.

<sup>135)</sup> Wackernagel, vocabularius optimus, p. 6 et 7, ubi arsat ab archiatro etc. Cf. pag. 33: „de partibus et rebus facientibus ad sanitatem.“

Gregorio Magno literarum conditio est mutata magnopere. Ante Gregorium paganis-  
mus cum christianismo foedere quodam fuit conjunctus, inde ab eo et per eum  
ille est rejectus et in rebus et in forma, et in ideis et in grammatica, atque hic  
summum sibi paravit imperium. Pro auctorum classicorum scriptis sanctorum  
tunc lectitabantur vitae, quare ab illo inde tempore legendae, quae dicuntur, flore-  
bant maxime per septimum et octavum saeculum, donec Carolus Magnus alteras  
quoque partes esse audiendas judicavit.

At quamquam Gregorius M. maximi fuit momenti in ecclesia et theologia,  
tamen in liberalibus artibus non tantum valuit ejus auctoritas, ut prorsus opprime-  
retur antiquitatis studium, quandoquidem reges ac principes favore suo literas  
artesque possunt augere atque promovere, neque vero abolere ac delere. Imo, ut  
saepius regibus alioquin potentissimis ita Gregorio se opposuisse videntur<sup>136)</sup>  
doctissimi quique illius aetatis viri, adeoque multi papae, ut statim videbimus,  
ubi ad monasteria pervenerimus, prorsus aliam ingressi sunt viam, nisi forte tene-  
bricoso obcaecati erant animo, neque in iis tantum terris Graeca colebantur, in  
quibus usque eo floruerant, verum etiam in alias proferebantur terras, ut in Bri-  
tanniam.

### Caput nonum.

Quae incrementa Graecae literae ex monasteriis cuperint exponitur.

Graeca humanitatisque studia eo minus potuerunt opprimi a Gregorio Magno  
atque ab iis, qui a Gregorianis stabant partibus, quod tunc potissimum mona-  
steria, in quorum solitudines piae armorum strepitu, quo ubique circumstrepebantur  
hominum aures, musae confugerat artium literarumque facta erant sedes, quodque non-  
nulla monasteria etiam Graecarum facta erant receptacula. Duo erant monasteriorum  
genera inde a primis medii aevi saeculis usque ad expeditiones in terram sacram factas,  
alterum Basilii Magni, qui exeunte saeculo quarto est mortuus, alterum Bene-  
dicti de Nursia, qui medio fere saeculo sexto Basilii premens vestigia,<sup>137)</sup> in  
occidentem monasteria ac monastica transtulit studia. In utrisque quae tunc erant diver-  
sissima, conjugebantur ac colebantur, pietas emistiana et humanitas pagana, et quidem  
ita, ut hacce ad illam sibi viam munirent atque ex inferiore in superiore locum

<sup>136)</sup> Alienus quidem erat Gregorius ab eleganti Latinitate, quod cohaeret cum humanarum literarum con-  
temtione piae divina doctrina, sed il ipsi, qui in papali vivebant palatio et quibuscum maxime erat  
conunctus, id agebant, ut omnia bene Latine dicerent. Cf. Johannis Diacon. II, 12, 13.

<sup>137)</sup> Mabillon. Annal. ordin. S. Bened. I, 37. et Benedict. regul. can. 73.

ascenderent, eodem fere modo quo saepius media aetate qui grammaticorum functi erant muneribus, postea ecclesiae christianaे suam dicabant operam.

Etenim Basilus non solum Neocaesareae patre rhetore, verum etiam Constantinopoli et Athenis, Libanio maxime duce,<sup>138)</sup> Graecis auctoribus se dederat et vere liberalem sibi paraverat scientiam. Jam quum monachus factus esset scripsit orationem longe clarissimam „de instituenda studiorum ratione ad nepotes suos,<sup>139)</sup> in qua et ipse se talem probat, qui in veterum scriptis, ut in Platonis, Xenophontis,<sup>140)</sup> Plutarchi, Homeri, Hesiodi, Solonis, Theognidis multum voluntatis erat, verum etiam gentiles Graecorum auctores — de Romanis ne verbum quidem dicit — necessarium habet gradum, quo insistentes christianam ac divinam scientiam recte possint intueri. Ut ipse, inquit, ex viro in poëtis interpretandis versatissimo audivi, omnia Homeri carmina nihil sunt nisi sempiternum virtutis elogium. Basilus comparat gentiles scriptores cum colore primo atque inferiore, quo tingerentur lanae, priusquam in purpuram mergerentur.<sup>141)</sup>

Basiliani monachi non solum in Graecia sua condiderant monasteria, verum etiam in occidentem, et quidem maxime in Siciliam et in Italiam inferiorem quasi deduxerant colonias. Quo factum est ut praeter alias, quas supra attulimus causas florentis in illis regionibus Graeci studii, etiam per Basilianos, qui omnes ex Graecia erant orti et in quorum ordinem ii tantum videntur esse excepti, qui Graeci erant natu, in Sicilia atque in Italia inferiore jam christianis, aequo ac prisca aetate per colonias, Graeca servaretur lingua. Talis monachus ex Sancti Basillii regula erat Gislenus sive Ghislenus, qui Athenis, ubi natus erat, literis studuerat indeque sub medium saeculum septimum in Italianam, Galliam, Belgiam iter fecit.<sup>142)</sup> Eodem tempore Theodorus, natione Graecus, Romae fuit episcopus contraque monotheletas publice prodiit, contra quos duos scripsit epistolas ad Paulum, Constantinopolitanum episcopum ejusque suffraganeos.<sup>143)</sup> Non est quod dubitemus etiam Romae Graeca jam mature fuisse monasteria, (in quam celeberrimam urbem omnia, undecunque erant, confluabant,) Stephanus quidem alter, papa, medio saeculo octavo, auctore fratre Paulino, qui Graecis favebat magno-

<sup>138)</sup> Socrat. 4, 26. Sozomen. 6, 17. Basilii epp. 336, §. 1 et 210.

<sup>139)</sup> Cf. Basilii opera, tom. II, p. 173 ed. Garnier.

<sup>140)</sup> Herculem enim in bivio laudat. Vide supra p. 15.

<sup>141)</sup> Cramer, Gesch. d. Erzieh. in den Niederlanden, S. 24 et 25.

<sup>142)</sup> Mabillon Annal. I, 405.

<sup>143)</sup> Grässle I, 93.

pere, condidit Romae in memoriam S. Dionysii monachorum Graecorum domum, quae, quum appellaretur „in schola Graecorum,” revera fuisse videtur Graeca schola.<sup>144)</sup> Jam in hoc S. Stephani et in S. Sylvestri monasterio, ex Pauli I., papae, jussu inde ab anno DCCLX. Graecus praecipue valebat cultus Graecaeque docebantur literae, ut essent, quibus in commercio inter orientem et occidentem uterentur legatis.<sup>145)</sup> Memorantur vel saeculo nono, quae Stephanus quartus et Leo quartus, pontifices maximi, et Romae et in Italia inferiore Graeca considerunt coenobia. Graeci praeterea per aliquod tempus Romae Gregorianum S. Andreae obtinuerunt monasterium.<sup>146)</sup>

Egregie falluntur, qui censem literas Graecas medio fere saeculo decimo quinto quasi ex inferis esse iterum in Italia excitatas, quum Basilianorum potissimum cura et studio per medium constarent aetatem. Graecam enim linguam proprium ac genuinum fuisse Basilianorum sermonem, inde quoque patet, quod anno MCCCCIX ex regio edicto gymnasia iu usum Graecorum monachorum per Siciliam condebantur, ne Graeca lingua, frequenti commercio cum Latinis monachis depravata, magis laberetur.<sup>147)</sup> Imo tantus erat saeculo decimo quinto in Sicilia literarum Graecarum amor, quem postea valde auxit Bessarion cardinalis, ut Messanii clarissimum Constantinum Lascarin, quem Ferdinandus I. rex Neapolin., publicum Graecae linguae professorem arcessiverat, rogarent vehementissime, ut Messanae vitae poneret tabernacula, quibus precibus anno MCCCCLXVI satisfecit. Quum etiam in Italia inferiore Graecis studuisserent literis monachi, factum est, ut Bessarion ille, qui aut octingenta aut nongenta collegisse fertur Graeca manuscripta, longe plurima sibi pararet ex monasterio S. Nicolo non procul a Tarento sito, cuius abbas Nicetas Bessarioni admodum fuit deditus.<sup>148)</sup> Ut veteribus Romanis nova literarum lux ex Italia inferiore affulsit, tertio et secundo a. Chr. saeculo, cuius rei satis est nominasse Livium Andronicum Tarenti, Ennium Rudiis natum, primosque annalistas Graece scribentes, ut Fabium Pictorem

<sup>144)</sup> Mabill. Annal. I, 167.

<sup>145)</sup> Muratori: Scriptores rerum Italic. vol. 3, p. I, p. 173. Heeren I, 79. Nonnulli papae ut Leo secundus, Gregorius tertius, Zacharias, natione Graecus, ac praeterea Natalis, archiepiscopus Mediolanensis, qui etiam Hebraicarum gnarus erat literarum, Graecae linguae eminebant cognitione. Cf. Jagemann, Gesch. d. Wissenschaften in Italien II, 567.

<sup>146)</sup> Mabill. Annal. I, 407 et I, 181.

<sup>147)</sup> Pirro, Italia sancta, II, p. 489.

<sup>148)</sup> Serapeum, 1841, Nr. 3 et Nr. 6. Qualia post Carolini M. aetatem per Italiam fuerunt Graeca studia, alio loco fusius exponetur. Vide supra p. 21.

et Cincium Alimentum, ita media aetate Romanae literae inde novam receperunt vitam.

In Benedicti Nursiensis, qui verus monasteriorum per totam fere Europam est auctor, regula omnium christianorum pietas ita acquievit, ut usque ad sacrarum expeditionum tempora, quibus permulta permultorum ordinum oriebantur monasteria fere omnia coenobia ab eo suam repeterent originem. Classicorum quidem ac Graecorum auctorum studium suis non praescripsit monachis Benedictus, quum vero in plurimis monasteriis inesset bibliotheca, quumque legendo scribendoque exercearentur,<sup>149)</sup> fieri non potuit quin et Graeci legerentur scriptores.<sup>150)</sup> Basilii et Benedicti vestigiis ingressum esse unum ex primis et clarissimis novi ordinis monachis, Cassiodorum, qui ex saecularium literarum studiis „non minimum ad sacras scripturas intelligendas sensum instrui“ censuit, jam accuratius exposuimus.<sup>151)</sup>

Duo Benedictinorum monasteria fuerunt longe celeberrima, alterum Casinense ultra Alpes situm literarumque studio emens, alterum Cluniacense cisalpinum, cuius gloria vitae morumque severitate, qua clerici ecclesiae deditissimi educabantur, est maxima. Casinense in Campania monasterium quod fuit primum a S. Benedicto conditum Graecos et Latinos monachos suis continuit muris, quo factum est, ut ibi semel quotannis missa celebraretur cum cantu promiseo, Graeco ac Latino.<sup>152)</sup> In variis studiis, quae intra Casinense florebant monasterium Latina quidem poësis primum obtinuit locum, ut nominibus Guaiferii et Alfani poëtarum probatur, neque vero Graeca prorsus negligebantur, nam clarissimus historiarum Longobardicarum scriptor, Paulus Warnefridi filius sive Paulus diaconus, propter eximiam suam Graecam doctrinam a Carolo Magno ex Casino in aulae suae strepitum est protractus, ut ibi, quos comites imperator elegerat, ut filiam suam Rotrudim, quae Constantino sexto Byzantinorum imperatori, sponsa erat, Constantinopolin comitarentur, Graecam doceret linguam.<sup>152)</sup> Illis sponsalibus Graecum studium in Caroli aula magnum cepit incrementum; Elisaeus enim, Graecus jeunuchus, ex Constantinopoli erat missus futurae sua reginae Graecus magister.<sup>153)</sup> Quanta Paulinae doctrinae fuerit fama ex carmine patet,

<sup>149)</sup> Regula Benedict. can. 48 et 55.

<sup>150)</sup> vide supra p. 21.

<sup>151)</sup> Cf. Cassiodor. de divinis lection. c. 28 et Mabill. Annal. I, 126.

<sup>152)</sup> Muratori script. rerum Italic. vol. II, p. II, p. 185.

<sup>153)</sup> Alcuin von Lorentz, p. 64.

quo Petrus Pisanus Caroli M. in arte grammatica praeceptor eum celebravit,<sup>154)</sup> ad quam laudem modestus respondit Paulus: „Graecam nescio loqulam, ignoro Hebraicam,

Tres aut quatuor in scholis  
Quas didici syllabas,  
Ex mihi est ferendus  
Manipulus adorea.“<sup>155)</sup>

Casinense monasterium per Paulum, qui mox rediit, ita inclaruit, ut Stephanus Neapolitanus episcopus adolescentes eo mitteret a Paulo erudiendos.<sup>156)</sup> Deleta quidem est paulo post haec musarum sedes anno MCCCLXXXVIII. per Arabes, qui Bertharium abbatem, regibus Francorum oriundum, medicinae Graecaeque linguae peritum<sup>157)</sup> — utramque doctrinam arcte fuisse conjunctam saepius monimus — trucidaverunt, diuque jacuit, neque tamen Graecarum literarum, quae inde alia in loca, ut Salernum, sunt propagatae, extincta est doctrina. Graeci quoque imperatores, qui Casinensi monasterio favebant summpere, hoc suo favore, cuius ex undecimo potissimum saeculo habemus exempla, declarare consanguinitatem quandam videntur.<sup>158)</sup> Tantus Graecarum literarum

<sup>154)</sup> In quo carmine haecce leguntur: Te  
Linguis variis ad nostram  
Lampantem provinciam. (misit Carolus)  
Graeca cerneris Homerus,  
Latina Vergilius,  
In Hebreis quoque Philo,  
Tertullus? in artibus,  
Flaccus crederis in metris  
Tibullus eloquio.  
Cum grammaticae Latinis  
Fecundare rivulis

Non cesses  
Partimque ratione  
Graecaram sub studia. —  
Qui cupis Graeco susceptos  
Erudire tramite:  
Quam non ante sperabamus  
Nunc surrexit gloria  
Hac pro causa Graecam doces  
Clericos grammaticam.

<sup>155)</sup> Cf. Lebeuf, dissertations sur l'histoire ecclesiastique et civile de Paris etc. Tom. I, p. 377 et 404. Ziegelbauer, historia literaria ordinis S. Benedicti I, 196. Paulum diaconum, quem arte grammatica floruisse Salernitanum narrat chronicon puerum Graeca didicisse, sed postea neglexisse, patet ex ultimo hocce carmine:

Sed omnino ne lingnarum  
Dicar esse nescius  
Pauca mihi quae fuerunt  
Tradita puerulo  
Dicam: caetera fugerunt  
Jam gravante senio.

<sup>156)</sup> Chronicon Joannis diaconi in Muratori script. etc. I, p. II, p. 310. Giesebricht p. 20.

<sup>157)</sup> Tiraboschi VI, p. 37. Casinensis chronicus auctor, qui sub Bassacio et Berthario abbatibus erat monachus, ad Aesopum provocat, cap. 26.

<sup>158)</sup> Mabill. V, 170, 238, 485.

innatus quasi erat Casinensibus amor, ut saeculo decimo sexto, instauratis illis literis, Prosper Martinengus Graecis sui carminibus summam sibi pararet gloriam, itaque emineret facilitate carmina Graeca pangendi incredibili, ut alterum Pin-darum alterumque Homerum appellarent.<sup>159)</sup>

### Caput decimum.

Graeca Gallorum exponuntur studia.

Ex Italia in meridionalem Galliam literae artesque propagatae ibique ita auctae erant, ut sub finem antiquae historiae, quarto et quinto post Christum saeculo Augustoduni, Lugduni, Viennae,<sup>160)</sup> Tolosae, Burdigalae, — Burdigalenses professores prae caeteris Ausonius poëta celebravit, qui Tolosae, ubi Aemilii Magni Arborii rhetoris scholam frequentaverat, grammaticam ac rhetoricae didicerat et postea docuerat, quiq; aequo ac Fronto et Lactantius principum aulicorum fuerat praceptor — aliisque in urbibus celeberrimae florerent scholae. Huc accessit, ut Constans, Constantini frater literarumque in Gallia fautor, Proëresium, Atheniensem sophistam, eloquentiae praceptorum in Galliam vocaret. Virgilius grammaticus, de quo jam plura attulimus, fuit ex hac Gallia, et quidem Tolosanus.<sup>161)</sup> Quot tunc in Virgilii patria fuerint grammatici, inde patet, quod ipse, quo tempore erat adolescentulus scholarum studiis deditus, triginta grammaticorum conventui interesset, qui de laude artium similibusque rebus disputabant. Virgilius ipse juventuti docendae animum advertit, quum librum, quem „Paedagogum“ nominavit, scribebat.<sup>162)</sup>

Omnes vero urbes superavit Massilia, quae Graecam comitatem, erat enim Phocaeorum colonia, cum provinciali parsimonia bene miscuit ac composuit.<sup>163)</sup> Ut unus ex praestantissimis antiquitatis viris, Ennius poëta, trium linguarum erat guarus, Graece enim et Osce et Latine loqui callebat, quare tria corda se habere

<sup>159)</sup> Ziegelbauer histor. rei litter. Bened. II, 567.

<sup>160)</sup> Viennae, ut omnino postea apud Burgundiones veterum Romanorum et literae et alia instituta firma quasi sibi posuerant castra et haec doctrina in dioecesi Viennensi, in qua extra urbem plus sexaginta erant monasteria, facile potuit servari. Duberle, histoire de l'université, I, 20 et 21. Aviti, Viennensis sexto saeculo episcopi carmina composuit cum Miltonio Britanno Guizot, histoire de la civilisation en France, II, 149. Ampère I, 212 „l'ancienne littérature profane était encore vivante au sein de la Gaule (quinto saeculo).“ Wackernagel vocabularius pag. 6: „im Mittelalter war das Latein noch keine todte Sprache.“

<sup>161)</sup> Angel. Mai de Virgilio grammatico, tom. V, pag. VIII.

<sup>162)</sup> Mai l. l. p. 520.

<sup>163)</sup> Tacit. Agric. c. 4.

dicebat,<sup>164)</sup> ita una, quantum scio, inter urbes antiquitatis clarissimas Massilia trium linguarum eminuit peritia, Varro enim trilingues appellat Massilienses quippe qui Graece, Latine, Gallice loquerentur.

Quae quum ita essent, neque Massiliae, qua in urbe multa alia Graecorum instituta radices egerant, et ubi vel saeculo quinto episcopum „Graecum“ habemus, Sidonii Apollinaris aequalem,<sup>165)</sup> neque aliis in urbibus meridionalis Galliae, quae literarum erat sedes, statim Graeca lingua potuit opprimi, quamvis magis magisque jaceret. Quum jam antiqua hominum memoria Massiliae floreret poëtarum et quidem maxime Homeri studium, unde Massiliensis illa Homericorum carminum recensio nomen traxit,<sup>166)</sup> quumque ibi praeter medicinae<sup>167)</sup> studium philosophia atque eloquentia coleretur, facile potuit fieri, ut Homeri carmina in grammaticorum scholis publice explicarentur, atque ad vicinos Gallos proferrentur,<sup>168)</sup> præsertim quum his Massilienses tantum Graecarum literarum inspirassent amorem eosque tanta Graecorum amicitia implevissent, ut, quae inter se pepigerant pacta ac conventa, Graece scribebent.<sup>169)</sup> Quantum Massilienses gloriam Graecarum literarum studiis vel apud ipsos Graecos sibi paraverint, videmus ex Rhodiorum legatorum oratione coram senatu Romano habita,<sup>170)</sup> facileque in medium Galliam atque ad Druides, qui Graecis utebantur literis,<sup>171)</sup> imo ad ipsos Helvetios,<sup>172)</sup> potuerunt Graeca perferriri. Graeca multarum urbium in Gallia meridionali nomina, qualia sunt Monaco, Nice, Antibes, Agde, Empurias, Troezene, Olbia, Athenopolis, Taurois, alia, Graecam demonstrant illarum regionum fuisse consuetudinem.

Altero quoque post Christum saeculo per meridionalem Galliam Graecarum literarum floruisse studia testes sunt Aelianus, qui Trajano regnante varias suas

<sup>164)</sup> Gellius n. A. 17, 17. Cramer, Gesch. d. Erzieh. I, 411.

<sup>165)</sup> Ampère I, 253. Fauriel, histoire de la poésie Provençale, I, 123.

<sup>166)</sup> Wolf prolegom. in Homerum 175. Cramer I. I. 482.

<sup>167)</sup> vide supra pag. 24.

<sup>168)</sup> Fauriel I. I. I, 83, 93, 104 etiam per rhapsodos ad cæteros Gallos esse perlata Homerica carmina conjicit.

<sup>169)</sup> Strabo IV, 180.

<sup>170)</sup> Liv. 37, 54. Cic. pro Flacco c. 26.

<sup>171)</sup> Caes. de bello Gall. 6, 14.

<sup>172)</sup> Caes. I. I. I, 29. Ex hoc uno loco Caesariano nimia conjectit et collegit Berchtold de Graecis Helvetiorum studiis in: Histoire du Canton de Fribourg I, 5: Les Helvetiens cultivaient la langue grecque, preuve, qu'il existait des relations assez intimes entre eux et les colonies grecques établies dans les Gaules et en Espagne. Les riches particuliers envoyoyaient sans doute . . leurs fils étudier chez les Phéniciens de l'Iberie et chez les Grecs, Tuscians etc.

scripsit historias, quique Gallos res a majoribus gestas Graece memoriae tradidisse narrat,<sup>173)</sup> atque Lucianus, qui in Gallia pro maxima mercede publice rhetoricam magna laude docuit artem.<sup>174)</sup> Neque tunc Graecae musae ibi linguam obmutuerunt. Etenim in triginta professoribus Burdigalensibus, quos laudat Ausonius,<sup>175)</sup> quinque sexve fuerunt Graeci grammatici, inter quos Cytharius Syracusanus, quae Syracusae quantopere fuerint Graecae non est quod moneam, atque unus Athenis oriundus, qui Augustoduni docuit, ubi „nobilissima Gallorum suboles liberalibus studiis est operata“<sup>176)</sup> p[ro]ae ceteris sua eminuerunt doctrina. Habemus quoque ex saeculo quarto haud ita leve opus Graeca lingua conscriptum, monodiam sive orationem funebrem in laudem Constantini junioris habitam, qui, Constantini magni frater, in itinere in Hispaniam facto sub annum CCCXI. erat interfactus.<sup>177)</sup>

Prorsus alia hujus rei conditio in caeteris videtur fuisse Gallis, adeoque Augustae Trevirorum, quae urbs alioquin a liberalibus minime abborrebat studiis, unus tantum saeculo p. Chr. quarto Graecarum gnarus erat literarum. Ausonius enim Harmonium, grammaticum Trevirensim, hisce celebrat versibus:<sup>178)</sup>

Qui sacri lacerum collegit corpus Homeri

Quique notas spuriis versibus apposuit,

Cecropiae commune decus Latiaeque Camenae

Solus qui Chium miscet et Ammineum.

Ita fieri potuit ut Gratianus imperator in constitutione anni trecentesimi septuagesimi sexti, qua stipendia scholarum magistris debita singularum civitatum arbitrio esse permittenda negavit, Trevirensis scholae Graeco grammatico duodecim annonas deferri juberet, nam lege fuit edictum, ut „optimi quique erudienda[rum] praesideant iuventuti, rhetores loquimur et grammaticos Atticae Romanaeque doctrinae.“<sup>179)</sup>

Sed quum jam fines terminosque, qui hujus programmatis dissertationi sunt constituti, sim egressus, rem, quatenus nunc mihi proposui tractandam a prima media aetate usque ad Carolum Magnum, peculiari absolvam libello, mox per Loefflerianam tabernam librariam edendo, si qui sunt, qui hisce tempestatibus, quibus hominum aures rerum publicarum ita circumsonant vocibus, ut futura tantum prospiciant, praeterita non respiciant, in antiquam ac medium configere velint aetatem.

<sup>173)</sup> Var. hist. 12, 23. Κείτοι δύομήματα — ἀπολέτοντες Ἐλληνικῶς.

<sup>174)</sup> Luciani apolog. pro mercede conductis c. 15: οὐδὲ ὄχοικη δῆμος μεγάλων μισθοφόρος θεγκαμένος· τοῖς μεγαλομόδοις τῶν ασφιστῶν ἐντιθούμενος. Cf. Hercul, c. 4.

<sup>175)</sup> qui natus est sub annum CCCIX. Cf. Cramer, Gesch. d. Erzieh. I, 480.

<sup>176)</sup> Tacit. Annal. 3, 43. Strabo 4, 195. Dubarle p. 5 et 6.

<sup>177)</sup> Faust 1, 101.

<sup>178)</sup> Epistol. XVIII, ad Ursulum grammaticum Trevirensim.

<sup>179)</sup> Codex Theodos. XII, t. 3, l. 11, Caeterum notandum, quod in lege additum est: „si quis dignus reperiri potuerit“ (Graecus grammaticus).